

Bibliothèque numérique

medic@

**Langlois, Jean-Baptiste - candidat / Le
Hoc, Louis-Pierre - président. - An
Arthridis naturae beneficium ?**

1766.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2335 n°93***

DEO OPTIMO MAX. ^{541 93.}

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,

*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis nonâ mensis
Januarii, anno Domini M. DCC. LXVI.*

M. LUDOVICO-PETRO LE HOC,
Doctore Medico, Præside.

An Arthritis naturæ beneficium?

I.



ARTHRITIS est articulorum dolor ex intervallis recurrens. Hunc dolorem sæpè comitantur tumor, calor & rubor; & quod miserandum magis, licet Arthriticus sæpè sæpius suis ipse plectatur noxis, aliquandò tamen contingit ut majorum delicta luat immeritus. Nec in unum duntaxat articulum defæviunt hujus mali furæ; modò pedem, modò manum occupat, modò in coxam erumpit, & pro variis in quos devolvitur articulis, *Chiragra, Podagra, Ischias* audit. Arthritis cum senibus, & cum spadonibus rarò pugnam committit. Vere & Autumno præsertim dicata, quas per æstatem & hyemem pacta est inducias, eas identidem infringere non spernit. Qui sub æquatore degunt, illi eà rariùs vexantur quàm qui sub Polis. Hanc juvat divites à curis nummos congerendi, numerandi, contemplandi distrahere; rustici verò modò glebis versandis, modò per resecatas vites Baccho excitando insudantis, quandoque in aureæ cereis obtutu defixi, gaudia corrumpere veretur. Huc accedit quòd Arthriticum virus à contagio non planè liberum scriptor (a) eximius certissimis evincat experimentis. Refert enim mulierem quamdam post induta podagrici viri, ipso reluctante, tibialia, podagricis doloribus vehementissimis subito fuisse correptam. Addit etiam famulum, postquam heri podagrici crepidas induit, tres antè septimanas podagrâ mulctatum, resorpto difficiliùs in massam sanguineam veneno. Neque tamen minùs id mali crises inter, à naturâ auxiliante concessas, referendum putamus. Naturæ igitur partes suscipimus, quæ dum beneficia in mortales, vel congerit vel tentat congerere, dum eorum delicta pro viribus suis absolvit, prohibetque ne ea ipsis unquam fraudi sint, querulas voces emittunt, quasi idcirco immemores esse liceat, quòd miseri sint. Erramus ergò si arthritidem morbum esse arbitramur, quin potiùs ejusdem causæ, affectus prævii, tentata medicamenta salutiferam esse crism naturæ evincunt.

I I.

NON semper vi apertâ morbi luctantur, quandoque tacitè serpunt, quandoque cuniculosè subrepunt & postquam diu siluère, primo ictu & impetu corpus quatunt & subvertunt. Haud alio nomine laxatâ fibrarum compage, aortæ diameter sensim sine sensu sæpè ita augetur ut diffuso in abdomen sanguine mors improvisa & quasi ex insidiis prorumpat. Sic tenaci Glutine inter pulmonis capillaria adacta, Peripneumonia notha subito claudit intellatam senectutem. Quis igitur dixerit in utroque casu

(a) Schmidt, Observ. 49, Annot. 9, Ephem. Germ.

nōn adfuisse morbum (silentem illum quidem) morti prævium? Idem dicendum de Arthritide. De eâ quippe, si quæris morbos quorum crisis depuratoria statuatur, en adest inspissatio sanguinis & Cacochymia quæ arthritidi cuilibet antesignana dici potest. Notat enim Hoffmannus à Pechlino observatum Humores Excrementitios, nempe sputum, urinam & sudorem vaporazione densatos maximam candescentis materiæ & in tartari consistentiam concretæ copiam præstitisse. Sed quid opus est experimentis? Apud omnes Medicos inconcussum manet in omnibus qui podagrâ laborant ventriculorum & intestina inertî muco turgere & mancâ in eis esse alimentorum coctionem. Imò semina farinacea quæ lentorem & spissitudinem sanguini conciliare merito insimulantur damnat Hippocrates, dum ait *qui in Graciâ orobos comedebant, iis genua dolebant*. Nonne hanc sanguinis Cacochymiam abundè evincunt pessimi fontes à quibus juxta omnes Medicos scaturit arthritidis? Cur enim causam ipsius præcipuam in ingestorum copiâ reponunt? Quia scilicet ventriculo ad rectè coquendam hanc farraginem impari, Chylus crassus, crudus, viscidus exoritur. Cur eam adscribunt immoderatæ veneri? Quod nimirum distatâ tunc eâ parte seminis quâ sanguini debita servatur tenuitas, sublato per immodica veneris prælia fibrarum tono, nec sanguinis globuli eo, quo par est, modo, attenuantur, nec serum sanguini egregiè miscetur. Cur Hoffmannus inter ejus causas animi affectus recenset? Quia nempe, dum earum ope humorum motum imminuunt, stagnatio adeoque Cacochymia gignuntur. Præterea si Cælio Aureliano fides, *pulsus adventante arthritide celerior est, Ægrotabundus gravitate stat ineluctabili, indebitâ torpet quiete*. Interdum etiam, ait Sydenhamus (b); *artus constringit horripilatio sese sub vesperam exacerbans. Urina, inquit Piso, tenues sunt & varia*. Cave igitur, arthritidem morbum perpetuò secundarium negaveris, quia sæpè silens omnes fallit nisi oculatissimos. Si tamen non eum esse morbum existimaveris, nisi qui vividè detonuerit, saltem attende quot morbi evidentes & quidem nimium heu! conspicui in arthritidem quasi notam crîsim proni sint & præcipites.

III.

ASSIGNATA arthritidi pro causâ inertî & spissescente lymphâ, sequitur morbos quàmplurimos arthritide posse terminari. Paucos enim reperias in quibus humores ab istâ inspissatione omnino sint liberi. Hinc colici doloris, dysentericæ eam Hippocrates pedissequam in Coacis affirmat; nec mirum, cum juxta Hoffmannum, (a) *Doloris dysenterici causa possit esse materia seroso-lymphatica mucescens & in lentum magma coalescens*; hinc ait Mulgravius, (b) *ab anginâ non raro arthritidis gignitur, cum sæpe tumor lymphaticus non nihil lentescens anginam constituat*. (c) Inde Wierus, (d) *à lue syphiliticâ arthritidem gigni observavit*, quod huic veneno lympham inspissare solemne sit. Itaque eam Hippocrates à tussi secundariam affirmat, cum viscosa quibus in tussi pulmo infarcitur in articulos tunc per metastasim convolent. Juxta eundem, (e) *isdem de causis dolor coxarum epilepsiam solvit*. Quo autem mechanismo fiant hujus-modi metastases, aut potius pepalsmi facîle patet attendenti? Ubi enim criticus rigor partis affectæ vasis inducitur, tunc necesse est ut quâ turgebant materiâ sese exonerent; ideòque in vasis tum sanguiferis, tum lymphaticis oberrat. Oritur attritus & ejus comes calor, inde benigna febris quâ crudum illud concoquitur. Superest ut attenuata materies in infirmiora depouatur; *Debilitas* enim, monente Celso, *omnibus ferè morbis patet*, hinc humoris in articulos impetus qui à naturâ ad motus dicati, ut sua illis servetur flexilitas, humore

(b) I. Tractatus de Podagrâ.

(a) Sect. 2, cap. 7.

(b) De Arthr. anom. cap. 13.

(c) Boheraav. Comm. sect. 634.

(d) Observ. rar lib. II.

(e) Libr. II Epidem. sect. 5.

lymphatico indefinenter imbuti & quasi macerati, necessariam à naturâ sortiti sunt atque
nam adeòque debilitatem. Neque vitium hoc articulis inditum Hippocratem latuit.
Dicit enim, *in carne quod relictum est fugit in id quod cedit, in articulos scilicet, & morbos ar-
ticulares affert* (f).

I V.

USURPATIS adversus sævissimum morbum medicamentis, tunc tantum prof-
perè pugnatum est, cum in eo debellando ab abscessuum criticorum cura-
tione non est recessum. Effet enim Medicinæ peregrinus & hospes, qui in hujusce
generis humoribus eandem omnino, ac in cæteris curam adhiberet. Galenus in in-
cipienti phlegmone frigida laudat, *Magis*, inquit, *ad incipientes φλεγμονας frigidis quàm
discutientibus utendum*. At verò ubi de Arthritide agitur, longè alius est sermo, *quod
vidimus*, inquit Pascolius, de Arthritide agens, hâc methodo (*frigidis*) *curatos aut Apo-
plecticos, aut Asthmaticos, aut Iliacos*. Neque minora ab adstringentibus speranda. Hoff-
mannus (a) de homine narrat cui, cum in gravem Arthritidis paroxysmum incidisset, ad-
ministratum fuit ab Empirico cataplasma cum radice symphiti, aceto, alumine &
camphorâ, moderatus exindè factus est dolor, at ægrum excepit subito ingens lassitu-
do corporis, cum virium prostratione, doloribus circa cordis scrobiculum imma-
nibus & tandem post sex septimanas convulsus periit. Cur autem hæc tantoperè
damnantur ab omnibus? Quia scilicet incumbentem crisi naturam interturbant, &
ab externis ad interna morbosam revocant materiam heu! nimis obsequiosam. Con-
trâ verò felici successu adhibentur ea remedia quæ dum curam relaxant, dum liga-
mentorum minuunt resistantiam, vilioris quasi victimam hosti ultrò offerunt ne in
nobilioris defeviant. Tentabis igitur purgantium ope naturam operi invigilantem
ad novam telam retexendam cogere, cum ea Hoffmannus quadraginta annos paucis
quidem benè, aliis verò longè pluribus pessimè cessisse comperit? Diuretica aut
sudorifera præscribes materiam arthriticam à notâ viâ & solemni sede insuetum per
iter in ignota deducturus? Nequicquam; tunc enim aberrans per vasa sanguifera de-
leteriam vi vel in pulmones loca respirationi dicata impinger vel mole obruet, vel in
pulposa cerebri capillaria irrumpet; undequaque stragem circumferens vel in fistulam
intestinalem ita eximio sensu præditam depluens, torminibus vix enarrandis arthriticos
dolores commutabit, tandem arthriticum tumorem tanquam crislum dubitanti fidem
facit Palmaria ejus medicina Asiatico familiaris, Europæo invidenda: An cuivis un-
quam venit in mentem ut phlegmonem vesicantibus curaret? Nonne contrâ his do-
lorum iliadem sibi parare & oleum igni addere metueret. Hic enim dolor adeòque
vasorum distensio à luxuriante sanguine. Hanc tamen methodum maximâ ægrorum
salute *Sinenses* (b) adhibent, dum nempe stupa mollissima ex Artemisia quâdam specie
confecta loco dolenti imponitur, eique scintilla infertur ellichnii ope. Cur igitur
ita præsens in Moxâ adest auxilium? Quia materiam arthriticam articulos obsidentem
foràs protrudit & exutos tono articulos adversus *πάλινδρομεν* obfirmat.

V.

NEC nos multum moveat qui intestina, ventriculum, pulmones, cerebrum ar-
thritide corripì non posse dixerit nisi summo cum ægri discrimine, imò sæpè
subitâ morte multos eam oppressisse. Non enim, ipso Hoffmanno teste, tunc morbus
ille arthritidis nomine insigniendus, contrâ nihil aliud est quàm materiæ arthritica
μεταπτοσις, nisi fortè succedaneos febris malignæ ad parotides abscessus febrem ma-
lignam appellaveris, aut excipiens anginam meningum inflammatio, angina etiam
vocabitur; aliundè arthritis juxta vim nominis morbus articularis audit. Urgeret vi-
vidius qui scæminas licet infirmiori & delicatiori temperamento ac proindè ad ar-

(f) Hippocrat. in Coac.

(a) de Podagr. retrocedent. in corpus. sect. 4.

(b) Vid. Thel. M. HATTÉ, ann. 1751. propugn.

4
 ticularum atoniam procliviores; arthritidi tamen minus obnoxias contenderet; sed in foeminis notandum quod uterus sit quasi crismus sedes, unde prout aliquâ labe peccat sanguis, eâ mulier uteri beneficio liberatur. Quis prætereâ in mulieribus vim cordis eam esse existimet quæ in loca ab eo remotissima materiam crudam, crassam, spissam expellat. Tandem mulieres à causis abstinere quibus maximè viget arthritis. Quid mirum? Si sua eas ab arthritide immunes præstet temperantia, & infantibus arthritis parcat temperamento exercitiisque perspirati insensilis copiam promoventibus. Neque tamen diffitemur cum quibusdam foeminis & infantibus arthritidem conflixisse, sed hæc rara à modum & de consuetis tantum hîc agere nobis est animus. Tandem non obstat quod doloribus sævissimis crucietur Arthriticus; sæpè enim in praxi fetaceis, vesicantibus, cucurbitulis, dolorem exsuscitant Medici unde salus ægrorum emerfura sit. Quòcumque igitur te vertas, sive ad causam, sive ad antesignanos affectus, sive ad veram & genuinam Medicorum, exitialemve Medicastrorum praxim, non minus inconcussa manebit nostra conclusio:

Ergò Arthritis natura beneficium.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Cesar COSTE, Censor *M. Josephus DUSSANS, Regius.*

M. Paulus - Jacobus MALOUIN, Medicus
Regiæ ordinarius, Regiæ Scientiarum Academia,
Regiæque Societatis Londinensis Socius, necnon Regius Chymicorum Librorum Censor.

M. Petrus-Joannes-Claudius MAUDUYT de la Varenne.

M. Joannes - Armandus ROUSSIN de Montabourg, Scholarum Professor designatus.

M. Joannes-Baptista BOYER, antiquus Facultatis Decanus, Regii Ordinis Eques, Regis Consiliarius Medicus in Supremo Senatu ac in generali Præfecturâ Parisiensi, Militarium Regni Nosocomiorum Inspector, Censor Regius, Regiæ Societatis Londinensis Socius, & Regii Medicorum Nancæianorum Collegii Socius Honorarius.

M. Stephanus D'HU AU ME.

M. Natalis MALLET, Chirurgia Professor.

M. Bernardus DE JUSSIEU, Regi à Consiliis secretis, Regiæ Scientiarum Academia, Regiæque Societatis Londinensis Socius, & in Horto Regio Botanices Pro-Demonstrator.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPT. LANGLOIS, Abrincensis, Doctor Medicus Remensis, necnon Sal. Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theses Auctor, A. R. S. H. 1766. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1766,